



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

**EPISTULA DATA**  
**XAVERIO S.R.E. CARDINALI LOZANO BARRAGÁN**  
**PONTIFICI CONSILII PRO VALETUDINIS**  
**ADMINISTRIS PRAESIDI**

*Venerabili Fratri Nostro*

*XAVERIO S.R.E. Cardinali LOZANO BARRAGÁN*

*Pontificii Consilii pro Valetudinis Administris Praesidi*

Duodecim Christi discipuli, ab eo bini missi cum potestate in spiritus immundos, oleo multos ungebant aegrotos et sanabant (cfr *Mc* 6,7-13). Nosmet Ipsi Successoris Petri pergrave munus exercentes, illa Sacrarum Scripturarum verba de Apostolorum navitate consideramus atque diligentem omnino operam dare conamur ad omnium aegrorum et patientium spiritale adiumentum. Multi sunt revera fideles quibus cotidiana in vita dolores variaequae difficultates obversantur atque, hanc ob rem, caelesti quadam egent confirmatione animique sui optata consolatione.

Cogitamus itaque iam nunc magna animi commotione Diem Mundialem XIII Aegrotantium, qui Yaundensi in urbe, in Sanctuario videlicet Sanctae Mariae Apostolorum Reginae, diebus IX-XI proximi mensis Februarii, sollemniter celebrabitur. Eiusdem Conventus pondus recolentes, aliquem adesse ibi volumus insignem Praesulem qui personam Nostram aperte publiceque exhibeat, verum etiam peculiarem coniunctionem Nostram cum infirmis et laborantibus huius nostri orbis clare testificetur.

Tu ipse, Venerabilis Frater Noster, qui Pontificio Consilio pro Valetudinis Administris Nostra voluntate praesides, aptus omnino occurris qui huiusmodi generis mandatum diligenter frugifereque expleas. Te igitur, de cunctis adflictis eorumque spiritualibus necessitatibus Nos deliberantes, *MISSUM EXTRAORDINARIUM NOSTRUM* hisce Litteris ad eam maximae

pastoralis sollicitudinis conventionem mittimus. Pro Nobis vere participibus et praeclari Congressus disceptationes sequentibus Tu ipse, Venerabilis Frater Noster, aderis, nuntium peculiarem Nostrum repetes, ac cogitationem Nostram atque communicationem cum infirmis et aegrotis ubique confirmabis.

Interea procedentem Te ad munus tam grave et utile precibus Nostris comitamur de tua diligentia pastoralique studio gaudentes. Apostolica denique Benedictione Nostra, Tibi imprimis impertita, Sacros ibi adstantes Pastores et religiosarum familiarum sodales necnon Christifideles, praesertim dolentes, recreabis, unde uberrimos possint illius celebrationis percipere fructus novamque evangelizationem diligenter provehere.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XI mensis Ianuarii, anno MMV, Pontificatus Nostri septimo et vicesimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**

© Copyright 2005 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana